



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Pavlo III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

MARINVS GRIMANVS Cardinalis, cuius tres leguntur Epistolæ ad Ioannem Fabri & Nauseam. Obiit Vrbe veteri anno 1546. Ibidemque in cathedrali iacet cum hoc Epitaphio.

D. O. M. Marino Grimano Veneto S. R. E. Cardinali, cuius virtutum in omnes gentes egressa memoria, magis apud animum cuiusque quàm apud tumulum hospitatur. Illustrium ergo virorum verum sepulchrum animus hominum, Æditiu beneficiorum memores, ex publico decreto instaurarunt.

MERCURIUS GATINARIUS Allobrox Cardinalis, cuius leguntur Epistolæ ad Erasmum. Obiit anno 1530. in Oppido Inspruch Comitatus Tyrolis.

BERNARDVS CLESIVS Cardinalis Germanus, cui libros dicauit Erasmus, scripsit Epistolæ 27. ad Nauseam, Ioannem Fabri, & alios. Iacetque in cathedrali Tridentina cum hoc Epitaphio.

Bernardo Clesio S. R. E. tituli S. Stephani in Cælio monte, Presbytero Cardinali Episcopo Tridentino, & administratori Brixinensi, ob multa magnaque in hanc Ecclesiam merita, æternâ memoriâ digno postum. Obiit 28. Iulij 1539. Sedit 25. annos, mensem unum, dies 24. Vixit annos 54. menses 4.

A PAVLO III.

ALEXANDER FARNESIUS Cardinalis Pauli 3. nepos, Romulum Amasæum, Fuluium Vrsinum, Onuphrium Panuinium, Annibalem Carum, & Nicolaum Ardinghellum omnibus demùm honore antelatum famulis adnumeravit. Eiusque leguntur Epistolæ 5. ad Sadoletum, Ioannem Fabri & Nauseam. Obiit anno 1589. Romæ iacet in æde Nominis IESV cum hoc Epitaphio.

Alexandri Farnesii Cardinalis S. R. E. Vicecancellarij Episcopi Ostiensis huius Ecclesie fundatoris.

GVIDO ASCANIUS Sfortia Cardinalis cuius legitur Epistola ad Cortesium. Obiit Romæ anno 1564.

HIERONIMVS GHINVCIVS Senensis, Cardinalis, Concilii Lateranensis Secretarius, Epistolam scripsit ad Nauseam. Obiit anno 1547.

IACOBVS SIMONETA Mediolanensis Cardinalis, Concilii Lateranensis Secretarius, cuius legitur Epistola ad Ioannem Fabri & Nauseam. Obiit anno 1539.

IOANNES ALVARES DE TOLETO, Cardinalis, cuius legitur Epistola ad Nauseam. Obiit anno 1559.

HIPPOLITVS ESTENSIS, Cardinalis cui Muretus, Cælius Calcagninus, & Paulus Manutius libros dicarunt, Epistolam scripsit ad Arnoldum Sorbinum Mureti Epistolis intersertam. Obiit Romæ anno 1572. Tyburique iacet in æde S. Francisci cum hoc Epitaphio sibi & Aloysio Estensi communi.

D. O. M. Hippolito & Aloysio Principibus Atestinis. S. R. E. Cardinalibus, Caesar Atestinus Marchio Patruo & Patrueli bene de se meritis P. curauit anno 1597.

MARCELLVS CERVINVS Cardinalis qui postea Marcellus Papa 2. Epistolas plures scripsit cum Secretarii munere apud Alexandrum Farnesium Cardinalem fungeretur, aliasque etiam nonnullas quarum leguntur quatuor inter Epistolas Nauseæ. Obiit anno 1555.

DYONISIVS LAVRERIVS Cardinalis, cuius legitur Epistola ad Cortesium. Romæ iacet in

æde S. Marcelli cum hoc Epitaphio.

Dyonisio Laurerio Beneuentano tit. S. Marcelli S. R. E. Presbytero Cardinali, Vrbinate[n]si Episcopo, Religionis Scruorum Generali grauissimo, ac Legato Campaniæ à Paulo 3. Pontifice Maximo ordinato, viro ferè omniscientiarum genere ornato. R. P. M. Augustinus Aretinus eius alumnus Generalis posuit. Vixit annos 45. Obiit die 17. Septembris 1542.

OTHO TRVCHSES Germanus Cardinalis Epistolastres scripsit ad Nauseam. Obiit anno 1573.

HIERONIMVS VERALLVS Cardinalis, scripsit Epistolastres ad Nauseam. Obiit anno 1555.

A IVLIO III.

ALOYSIVS CORNELIVS Cardinalis, cuius leguntur Epistolæ ad Stanislæum Hosium. Romæ iacet in Ecclesia Cruciferorum cum hoc Epitaphio.

D. O. M. Aloysio Cornelio Veneto, tit. S. Marci Presbytero Cardinali S. R. E. Camerario. vixit annos 67. menses 2. dies 2. Obiit 6. Idus Maij 1584.

A GREGORIO XIII.

FERDINANDVS DE TOLETO Hispanus ex Comitibus Oropesq;, qui Cardinalis electus, Pontifici gratias scribens purpuram recusauit: Epistolam ad Stanislæum Hosium dedit eiusdem Hosii epistolis intersertam.

Quædam etiam Guillelmi de Papia & Alberti de Mora Cardinalium leguntur Epistolæ, S. Thomæ Cantuariensis Epistolis inditæ.

FINIS.